

1381

cis : jussus tantum Liopoldi nomine confestim castris excedere, ac Patavino nunciare, ut postridie se expectaret: tum fore, ut si quid opus esset facto, de ea re una coram consultarent. Haud latuit illum, quorsum ea verba tendenter. Ne igitur subito hostium adventu opprimeretur, postridie sub lucem soluta obsidione, fugienti similis abiit. Quod ubi Liopoldus accepit, iniquo tulisse animo dicitur, ereptam sibi pugnandi occasionem. Inde aliquanto post motis signis, Anaxo copias trajecit, ac circa Taurisium, ubi hostium castra fuerant, consedit. Ipse cum multis illustribus viris urbem ingressus, tantam vim frumenti, vini, ac rerum omnium subito intulit, ut & bello & fame eodem tempore civitas levata sit. Atque in hunc modum Veneti Taurisium amisere, anno post tertio ac quadragesimo, quam Scalanis illud ademerant. Sed ea fuit Patrum constantia in celando tantæ cladis dolore, ut legatos etiam ad Liopoldum miserint, qui illi felicem accessum novumque Taurisi principatum gratularentur. Misisti Jacobus Delphinus, Petrus Hemus, Bernardus Bragadinus, Marinus Memus, & Albertus Contarenus. Carrarius Princeps etsi sub Liopoldi adventum Taurisio abscesserat, haud tamen destitit Taurisinos fines armis infestare, quin aliqua etiam loca post Germani accessum occupavit, manifeste prædicans, se Lodovici jussu in armis adhuc esse; quum Liopoldus interim, quia nova affinitate Lodovico junctus esset, media urbe regia signa suis prælata statuisset. Ferunt Lodovicum voluisse Liopoldi rebus imprimis consultum: verum ne belli socios prodidisse videretur, ab eo petivisse, ut æquo animo ferret Carrarii pertinaciam. Hinc fuit, quod sæpiissime illos per legatos, quum vi alioquin agere liceret, Patavinum ab incepto avertere curaverit: sed neque precibus unquam neque minis impetrare potuit, ut ab injuria abstineret. Zenus autem, quem ex Peloponneso in oram Inferi maris novissime profectum diximus, ubi jam ad Arni fluminis ostium applicuerat, quum publicis literis certior est factus de pace cum Genuensibus facta, atque ita ex ipsa pene hostium cervice